



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Immunitas Ecclesiastica multis modis offenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

336 Immunditia.

Aduertant hæc qui sordidis vtuntur in Missarum sacrificio, ita vt abominabili sit tangere & videre.

Libertati Ecclesiasticæ violatio semper peccatum est.

Immunitas Ecclesiasticæ violatio mortale peccatum est formaliter loquendo: hoc est ex intentione facta: vt scilicet illam quis violet: quia iniuriam infert Ecclesiæ in priuilegio Ecclesiasticæ libertatis, vel quo ad locum, vel quo ad personas, vel quo ad bona mobilia vel immobilia. Propter imperfectionem tamen actus inuenitur hic veniale peccatum sicut in cæteris.

Immunitas Ecclesiastica multis modis offenditur.

ET scito hic sex. Primo, quod Ecclesiasticam violare immunitatem non est aliqua vna peccati species, sed est tanquam generale peccatum ad omnes sacrilegii species. Violatur siquidem Ecclesiastica libertas, iniuriam inferendo & personis & locis, & rebus sacris: ita quod violare Ecclesiasticam immunitatem sonat quendam generalem actum vitii, quod sacrilegium vocamus. Secundo, quod in hoc peccato est aliquid formale, & aliquid materiale. Habet enim se vt forma, ex intentione agere contra libertatem Ecclesiasticam: materia autem est illa res in qua Ecclesia læditur, aut dehonouratur. Verbi gratia: cum clericus iudicatur à laico, quum extrahitur ab Ecclesia qui saluus in illa esse debet, quum bona Ecclesiæ vsurpantur ab aliis, formale in omnibus est quod tenditur contra id in quo Ecclesiastica persona seu Ecclesiasticus locus, aut Ecclesiastica res debet esse libera, materiale autem est exemptio clerici à laico, saluus confugiens ad Ecclesiam, quod res seu bona
Eccle.

Immuni. Eccle. viola. 337

Ecclesiæ sint Ecclesiæ, & sic de aliis. Tertio, quod crimen hoc potest referri vel ad pœnas iuris, vel ad naturam ipsius peccati. Et si referatur ad pœnas iuris, non est violator Ecclesiæ liberaatis qui agit contra priuilegium concessum alicui particulari Ecclesiæ: puta si agit contra libertatem concessam Ecclesiæ Mediolanensi, aut ordini prædicatorum, &c. sed oportet quòd agat contra libertatem communem Ecclesiæ. Et hoc non sic intelligas vt oporet illum agere contra totâ Ecclesiam: sed quòd quicumque homo, aut quæcunque res, aut quicumque locus offendatur: oportet quod offendatur in illa libertate non quâ habet ex proprio, sed quâ habet ex priuilegio communi toti Ecclesiæ, ad hoc vt incurrat pœnas iuris latis contra violatoras. Sed si ad naturam criminis spectetur, ita peccat mortaliter qui violat libertatem peculiariter concessam alicui Ecclesiæ sicut qui violat libertatem communiter concessam toti Ecclesiæ, nam vtriusque peccatum, sacrilegium est, violans personâ, rem aut locum cultui diuino deputatum. Quarto, quòd huiusmodi libertates seu immunitates Ecclesiasticæ quæ particulariter sunt alicui concessæ, non subiacent scientiæ, nec confessor de his debet esse sollicitus: quia ex specialibus priuilegiis pendent, quæ debent promulgare illis quorum interest. Sed immunitates communes continentur in iure. Et locales quidem immunitates valde multæ sunt: præcipuè tamen sunt, quòd secularia placita (hoc est iudiciales processus) & sententiæ seculares, & maxime in causa sanguinis conclamationes, seditiones, impetus publica parlamenta, vniuersitatum conuocationes, negotiationes nundinarum & fori, non possunt in loco sacro fieri: nec possunt ibidem reponi supellectilia, vel hospitari, nisi necessitate cogente, Nec potest illi violentia inferri, aut aliquis
vel

338 Immuni. Eccle. viola.

vel aliquid violenter aut furtiuè inde abstrahi, autè in confinibus frangi: exceptis casibus à iure permissis, excipiuntur siquidem publici latrones (vt piratæ in mari, & similes in terra) & nocturni populatores agrorum, & occidentes vel mutilantes in Ecclesia sub spe vt ab Ecclesia saluentur. Et idem videtur etiam, si hoc vel quodcunque aliud enorme fiat in Ecclesia etiam sine spe quòd ab Ecclesia defendatur: quia frustra legis implorat auxilium, qui in legem committit. Personales autem immunitates manifestæ sunt, quòd Ecclesiasticæ personæ sunt exemptæ à iudiciis secularibus, quod sunt liberæ à manibus violentis suadente diabolo, & à pedagogis & angariis. Reales autem immunitates sunt quod Ecclesiasticæ personæ exemptæ sunt à gabellis pro rebus suis vel Ecclesiæ, quas non causa negotiationis deferunt, quod Ecclesiæ possessiones non possunt pro alienis debitis obligari, &c.

Quintò, quod violare Ecclesiasticam quamcunque immunitatè contingit dupliciter. Vel formaliter: hoc est ex intentione agendi contra Ecclesiasticam libertatem, seu contra talem Ecclesiasticam immunitatè. Et sic proculdubio est peccatum mortale violare quamcunque immunitatem Ecclesiasticam, vt dictū est: quia committitur sacrilegium. Vel materialiter: hoc est non animo faciendi contra iura ecclesiastica, sed ex aliqua passione seu ratione. Et tunc oportet aduertere, si actus ille qui fit, sit talis aut fiat taliter quòd redeat in naturam suæ formæ: quia si sic esset, licet non committeretur sacrilegium ex intentione, nihilominus incurreretur sacrilegium formaliter, & esset peccatum mortale, sicut cōtingit in cæteris vitiis materialiter cōmissis. Si autem actus ille non rediret in naturam suæ formæ, esset peccatum veniale propter imperfectionem actus. Discernèdum est autem
hos

Immuni. Eccle. viola. 339

hoc in proposito ex duobus. Primò ex natura, quantitate, qualitate, &c. iniuriæ seu damni illati. Secundo, ex vinculo prohibitionis præcepti. Nam si opus sit notabiliter iniuriosum aut nocium, non evadit sacrilegium. Vnde qui in Ecclesia fornicatur non animo iniuriandi immunitati Ecclesiæ, sed casu quantu ad locum, non excusatur à sacrilegio: quia dum non curavit continere in illo loco ob reverentiam loco debitam, redit actus tantæ irreverentiæ in naturam sacrilegii. Et simile est in aliis notabiliter iniuriosis aut noxiis. Similiter si opus est prohibitum sub tali vinculo, ut appareat vinculum esse ligans ad mortale peccatum: (ut est excommunicatio) non evaditur sacrilegium: ut si quis exigat gabelas à clericis, dum enim non curat exactor incurrere excommunicationem ut suæ vel aliene satisfaciatur voluntati in exigendo à clerico, sacrilegium incurrit, etiam si illud non intendat. Et per oppositum quando opus non est notabiliter nocium seu iniuriosum, & arcto vinculo præcepti non subest, licet sub immunitate Ecclesiæ contineatur, si desit contemptus, non est mortale peccatum: quia nec formaliter (quia non ex intentione) nec materialiter sacrilegium invenitur redire, ut dictum est: sed velut imperfectum quid in hoc genere relinquitur peccatum veniale. Et de horum numero sunt comedere in Ecclesia absque necessitate, confabulari, consilia facere, hospitari, nautica ligna ibi servare, & similia. Ex quibus parva videtur irreverentia haberi, in nullius iniuriam, aut damnum.

Vnde ad questionem de venditione candelarum in Ecclesia aut cœmeterio, dicitur quòd aliud est ibi manere vendentes ad vendendum, & aliud est ibi fieri solam venditionem. Primum esse abusionis, nec scio à peccato excusare: quum dominus eiecerit vendentes ea quæ opportuna erant ad

Y
facti

340 Immuni. Eccle. viola.

sacrificia : & non propriè de templo , quia templum propriè non introibât , sed de atrio templi : quod templum appellatur ab Euangelista , existens enim populus in atris templi , dicebatur esse in templo . Secundum autem si auaritia desit , & ut satisfaciât deuotioni populi fit , non vitupero , videns hoc à personis religiosis & doctis seruari . Nec propterea primum damno peccati mortalis sed venialis , si in cœmiterio fiat (quod non est domus Dei , sed fidelium defunctorum) ex quo pontifices sciunt nec reprehendunt , & nō pronotabili habetur irreuerentia . Si autem in templo fieret , nisi imperfectio actus excusaret , non auderem à peccato mortali excusare : quia licet Matthæi xxi. dominus eiciendo vendentes de templo , allegauerit iniuriam maximam , dicens : Vos autem fecistis illam speluncam latronum . Ioan. tamen ii. allegauit irreuerentiam negotiationis , dicens : Nolite facere domum patris mei , domum negotiationis . Et quia hoc dixit vendentibus minima , scilicet columbas (ut ibi patet) consequens est ut declarauerit negotiationem omnem in templo iniuriosam esse domui Dei , non ex positio sed diuino iure . Nota tamen id quod imperfectio actus in proposito non attenditur penes imperfectionem venditionis , sed penes imperfectionem sacrilegii , quo iniuria fit loco sacro : ita quod perfectus actus est qui completè irreuerens est templo Dei . Et hic esset quum venditor vteretur templo Dei tanquam officina negotiatoria seu ad vendendum puta si haberet in templo locum ad vendendum quasi in officina . Et hos insinuant verba domini dicentis , Nolite facere domum patris mei domum negotiationis . non enim dixit , Nolite vendere aut negotiari : sed , Nolite facere domum negotiationis . Significauit enim per hoc quod ita vendere ut fiat domus negotiationis , est sacrilegium perfectum : vendere

dere autem citra hoc quod fiat domus negotiationis, quum de genere prohibitorum sit, imperfecti est sacrilegii. Vnde ex hac imperfectione excusantur à mortali tam pauperes qui deferunt vanales candelas per Ecclesiam, quam ii qui propter accidentem tunc pluuiam suas bancas cum candelis vernalibus trahunt intra templum, neutri siquidem faciunt domum Dei, domum negotiationis: sed quasi per accidens ibi vendunt.

Sextò, quod confundendo vocabula immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ, hæc & similia intelligenda sunt. Sed quum ad discernendum censuras sacrorum Canonum & casus reseruos devenitur, serua proprietatem nominū, & distingue inter Ecclesiasticam immunitatem & Ecclesiasticam libertatē. Et per immunitatē Ecclesiasticam intellige exemptionem loci sacri per libertatem verò Ecclesiasticam, intellige exemptionem personæ Ecclesiasticæ, non solum in sua persona, sed in omnibus quibus per liberum arbitrium vitur, & quæ possidet: ita quod si quis iniuriam loco sacro facit, non est reus violatæ libertatis, sed immunitatis Ecclesiasticæ: nec incurrit censuras latis contra violatores Ecclesiasticæ libertatis. Qui autem iniuriatur personæ libertatem eius impediendo ut non vitur suis &c. violat Ecclesiasticam libertatem. Vnde Benedictus xi. in Extrauag. inter cunctas. ponit distinctos casus, violationem libertatis, & violationem immunitatis Ecclesiasticæ.

Impedimenta matrimonii vide infra in verbo matrimonio.

*Impius in parentes vel alios quoscung,
viciosus est & peccator.*

Impietas (qua parentibus & patriæ, consanguineis & concubus debitus cultus subtrahitur, aut iniu-

Y 3 rig